



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies
quadraginta**

Flavin, Melchior de

Parisiis, 1566

De pace spirituali regni Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29986

De pace spirituali regni Christi.

CAP. 24



Vemadmodū omnia suam appetunt fœlicitatem tanquam finem: ita & pacem tanquam bonum vltimum: quæ est coniunctio aliquorum: ex qua resultat quies, & tranquillitas, quando res est in suo ordine naturali collocata. Illa verò est multiplex quædam corporis & partium eius inter se, alia corporis & animæ, alia autem rationis & partis sensitivæ, alia hominis ad Deum cuius legi obedit, alia verò hominum inter sese & concordia sub eadem lege: alia hominis ad animalia, aliâsque creaturas: postrema æterna cum Deo, quando expertes omnis mali cum peccati, tū pœnæ, cōiungemur vni Deo: à quo processimus vt sicut ille est & nos simus, Ioan. 17. & 1. Ioan. 3. Hanc autem multiplicem pacem amissam in Adam, recepimus in Christo, licet æternam nō possideamus integram nisi merito Christi nobis exhibito & spe. Sed primū expendendum est de pace hominis cū Deo, quam amiseramus per peccatum. Iniquitates (inquit) vestre diui-

10. Eth. &
19. de ciuit.Ioan. 17. &
1. Ioan. 3.

Esa. 59. serūt inter vos & Deum vestrum, *Esa. 59.*
Sapient. 5. Qui armauit omnem creaturā aduersum
 nos *Sapient. 5.* certant contra nos inde-
 fessè mala peccati seu culpe & pœne pec-
 catorum, Vnde clamamus, Libera nos à
Esa. 9. malo. Noster autem Salomon rex pacis
 Christus, *Esa. 9.* conciliata nobis patris a-
 micitia, attulit pacem quam promiserunt
Matth. 10. propheta, acclamarunt angeli. Illam vo-
Luc. 2. luit & Apostolos & nos prædicare, *Matt.*
Rom. 10. & 10. *Rom. 10. &* 2. *Corint. 5.* Testis illius pa-
2. Cor. 5. cis est pater, *Mat. 17.* hic est filius meus di-
Matth. 17. lectus, in quo mihi complaceo, per quem
 alij mihi placent tanquam per eum recō-
Ephe. 1. ciliati, *Ephe. 1.* gratificauit nos in dilecto
Rom. 5. filio suo & *Rom. 5.* Cum inimici essemus,
 secundū tempus reconciliati sumus Deo
 per mortem filij eius. Item testis est spiri-
Rom. 8. tus sanctus, *Rom. 8.* Spiritus contestatur
 spiritui nostro quod sumus filij Dei: hanc
 testantur angeli, apostoli, & omnes crea-
 turæ: illam pacem adepti sumus per vni-
 cum Christum quem ad hoc dedit no-
Esa. 9. bis pater, *Esa. 9.* & *Ioan. 3.* idque ex bona
Ioan. 3. voluntate & gratia Dei, non ex operibus
 iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum
 suam misericordiam. Enimvero Christus

qui est pax & reconciliatio nostra, attulit
 remissionem peccatorum. Ioan. 1. Ecce ^{Ioan. 1.}
 agnus Dei ecce qui tollit peccata mūdi,
 & saluum fecit populum suum à peccatis
 eorum. Coloss. 2. Pacificans per sangui- ^{Matth. 1.}
 nē crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ ^{Coloss. 2.}
 in terris sunt facta: siquidem remissione
 peccatorum quæ erāt causa dissidij cum
 Deo. Esa. 59. & Sap. 14. sublato peccato ^{Esa. 59.}
 & data gratia reconciliamur Deo: quam ^{Sap. 14.}
 reconciliationem demum sequitur pax,
 & tranquillitas mentis, à mordente con-
 scientia. Roma. 2. cogitationibus inter se ^{Rom. 2.}
 inuicem accusantibus, &c. Fide autem
 consequimur illam pacem. Rom. 5. Iusti- ^{Rom. 5.}
 ficati ex fide, pacem habemus ad Deum,
 per Dominum nostrum Iesum Christū:
 Nam fide ingeritur menti nostræ, quòd
 Christus pro peccatis nostris dependit.
 Vnde si cor nostrum reprehenderit nos,
 Deus maior est corde nostro. 1. Ioan. 4. ^{1. Ioan. 4.}
 Hāc autem pacem effert Salomon super
 omnia quæ in hoc mundo possunt desi-
 derari cum enim commemorasset deli-
 cias, honores, & diuitias mundi, tandem
 intulit Ecclesiasti. 1. hęc omnia vanitas, ^{Ecclesi. 1.}
 & afflictio spiritus. At secura mens quasi

Proverb. 15. iuge conuiuium, quæ affert nobis indici-
Rom. 14. bilem lætitiā. *Roma. 14.* Regnum Dei
 non est esca, neque potus, sed iustitia, quā
 fide consequimur, & pax & gaudium in
 in spiritu sancto. Nā fructus spiritus fidei,
Galat. 5. est iustitia, & pax, & gaudium in spiritu
 sancto. Huius pacis expertes sunt quot-
 quot extra Christum degūt. Non est (in-
 quit) pax impiis. *Esa. 48.* Alia autem pax
 est erga nos quæ ex priori proficiscitur
 quam largitur nobis spiritus sanctus mor-
Rom. 8. tificans concupiscentiam nostram ne do-
 minetur in nobis. *Roma. 8.* si spiritu facta
 carnis mortificaueritis, uiuetis. Is spiritus
 concupiscit aduersus carnem ut non liti-
 get cōtra Dei mandata, sed faciat ex amo-
 re: hæc pax amica est virtutum, discordās
August. de à vitiis. Fac (inquit August.) iustitiā, &
vera inno- habebis pacem. Oritur etiam ex pace
centia. Christi pax cum proximo, quæ est tessera
Matth. 5. filiorum Dei. *Matth. 5.* beati pacifici, quo-
 niam filij Dei vocabūtur. Diligite inquit
 inimicos vestros, & benefacite iis qui
 oderunt vos: ut sitis filij patris vestri qui
 in cælis est. Illa est testamentaria quam
Ioan. 13 & legauit nobis Christus moriens. *Ioan. 13.*
14. & 14. Illa enim pax cum charitate nobis

infunditur ex August. super Ioan. Charitas
 semper habet pacem, quam facit. i. ad
 Corinth. 13. Illa est quæ facit duos popu- 1. Cor. 13.
 los vnum. Ephes. 2. Spiritus enim qui est Ephes. 2.
 nexus patris & filij, per charitatem vnit
 membra corporis Christi. Coloss. 3. Pri- Coloss. 3.
 ma pax cum Deo oritur à gratia, per quã
 est peccatorum reconciliatio cum Deo, Aug. lib. re-
 & tranquillitas mētis: qui habet eam, ha- tract.
 bet pacem cum omnibus creaturis. Dili-
 gentibus enim Deum, omnia cooperan-
 tur in bonum. Rom. 8. Illa pax complecti- Rom. 8.
 tur remissionem peccatorum, adoptio-
 nem in filios, pacem & victoriam, in vita
 & morte vitam & æternam foelicitatem,
 ad quam fit transitus per mortem. Ioan. Ioan. 3. & 5.
 3. & 5. Illam nõ dat lex, sicut nec gratiam:
 secus non esset gratia. Roma. 11. Si autem Rom. 11.
 ex operibus, iam non est gratia, sed datur
 per fidem Christi, per quã credimus pro-
 missionibus Dei. Vnde illa reddit nos se-
 curos & certos de remissione peccatorũ,
 & benignitate diuina facit nos amicos
 Dei. Ioan. 15. & 16. sed amicorum omnia Ioan. 15.
 sunt communia: ideo pater cum Christo & 16.
 dedit nobis omnia. Roma. 8. Non est re- Rom. 8.
 conciliatio illa cum Deo, sicut est mundi

DE REGNO

reconciliatio: de qua dicitur ab inimico reconciliato, Libera nos & maximè hoc proceribus contingit. Ac Deus longè fecus plus se beneuolum exhibet reconciliatis, quam iis qui sine peccato vixerūt. Quod patuit de Petro, Paulo, Magdal. Matheo, latrone & publicanis, Luc. 15. & 19. Illam pacem nullus potest nobis neque dare, neque auferre nisi consentiamus peccato. Illam habemus inter passiones & tormenta huius sæculi, Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis: in me autè pacē. Nam illa affert fœlicem successum & fœlicitatem, quam expectamus. Nōdū enim est illa pax absoluta: quandiu sumus vallati peccatis, pœnis, mundo, malis hominib⁹, & diabolo. Idcirco oramus quotidie libera nos à malo: quod erit cū per Christum deueniemus ad pacem triumphantis ecclesiæ: quādo erimus sine culpa, sine macula, sine ruga, sine pœnis: in libertate filiorum Dei: qui non esurient neque sitient amplius: quibus absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum & mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor. Tūc erimus separati à diabolo & membris suis. Mat. 3.

Luc. 15. &
19.

Ioan. 16.

Esa. 49.
Apoc. 7.
Apoca. 21.

Matth. 3.
& 26.

& 26. Illius pacis nullus erit finis. Sedebit ^{Esa. 9.}
 inquit populus meus in pulchritudine pa-
 cis, in tabernaculis fiducia, in requie opu-
 lēta, Esa. 32. Illa est pax quæ exuperat om-
 nem sensum: quam optabat Symeon,
 Luc. 2. Nunc dimitte seruum tuum Do-
 mine in pace. Vnde quemadmodū om- ^{1. de celo.}
 nis motus est ad quietem, sic nostri co-
 natus ad illam quietem & pacem: ad quā
 opus est peruenire per bella: sicut Chri-
 stus, Luc. 24. Nō coronabitur nisi qui le-
 gitimè certauerit ceu cataphractus miles
 Iesu Christi.

De præliis militum regni Christi.

C A P. 12

Christus nouus homo cœlestis,
 ex filio Dei factus est filius ho-
 minis, & hominū seruus: etiam
 impiorum: submissus pontifici-
 bus malis, Ethnicis hominibus, adeoque
 omnibus incōmodis nostris dempto pec-
 cato, Hebr. 2. & 4. vt nos vindicaret in li-
 bertatem: Imò ex seruis peccati, & dia- ^{Heb. 2. & 4}
 boli redderet filios Dei: qui ex amore ma-
 gna animi libertate seruiamus illi. Non
 enim nobis impartitus est libertatē car-
 nis, quam meditantur Chiliastæ & Ana-